



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M A.

Miscellaneorum

DECADIS II.

EXERCITATIO V.

De

DOLORIS

NATURA ET CONSTITUTIONE

Physiologica & Historica

Disceptationis loco in Gymnasio Gedanensi Proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Phil: Professore Publico

Respondentis partes defendente

JONA DANIELE COSCHWITIO

Ligio-Silesio.

Ad diem 1. Aprilis S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. Matutinis.



GEDANI. Typographio GEORGIO RHETIO exscripta ANNO 1637.

Miscellaneorum
Decadis II. Exercitatio V.
De Naturâ doloris.

I.

DE *rebus etiam manifestissimis enunciatum est Philosophi, in* 2. Meta: c. 1. ad *eas intelligendas mentis nostræ directam aciem tàm esse imbecillam, ac nycticoracis oculum ad intuendum solem.* Immaterialia *apertè id demonstrant, quorum cognitio difficilimè nobis se ingerit. Sed in plurimis* corporeis rebus *noscendis tanta nos occupavit stupiditas, ut verissimè dixerit egregius Poëta, velut nebulam nobis ob oculos esse effusam, nec cernere nos, nisi intra lapidis jactum valere, ut verba sunt* Apuleij in 1. florid. *Etiam cum rem esse quandoq; sciamus, quid tamen sit, ægrè molimur. In tempore nos vivere, & tempus quid sit, ignorare, questus jam olim est* S. Augustinus l. 11. conf. c. 14. *Loca nos occupare, & loci naturam ignorare jure queritur* Keckerm. l. 1. d. loc. c. 1. *Dolere nos omnes sentimus, & clamamus quandoquè. Si quid sit dolor, & in quo distinctum formale ejus consistat, inquiras, rudi silentium, sapienti dubium & fluctuantem animum citiùs concilies, quàm constans responsum. Ac sapientum opiniones expugnare paratius forte sit unicuiq;, quàm suam tutò alienis committere judicijs. Vnde videamus, animadvertamus, meminerimus, quàm sit imbecilla nostræ mentis acies ad vestiganda Naturæ penetralia. Sed felicia ingenia in egregiis conatibus sunt dilaudanda, judicio* Scaligeri ex: 296. f. 1. *At-*

 que ita

que ita moliamur utcunquè naturam doloris eruere, quando ut volumus, per imbecillitatem vix licet.

2. Dari in rebus dolorem *experientiâ teste assumendum magis est, quàm probandum. Nec audiendi sunt* Stoici, *de quibus* Cicero 2. Tuscu. qu. §. 42. ait, quod *contortulis quibusdam conclusiunculis efficere velint, non esse malum dolorem.* Et §. 61. *de* Possidonio *Stoico narrat, cum faces doloris ex artuum laboratione ei admoverentur, subinde eum exclamasse: Nihil agis dolor: quamvis sis molestus, nunquam te confitebor esse malum. Nec admittendi sunt* Academici, *quibus cum omnia incerta esse æstimentur; etiam dolere se, non liquere sibi asserent. Cum utrisq; non argumentis, sed armis agendum erit. Ac tantisper plagis concutiendi venient, quoad usquè dolorem sibi incussum esse fateantur, jussu Philosophi* 1. Eth. Eudem. c. 3. *& judicio in simili olim dato ab Scoto, omnium acutissimo Viro Scaligero* ex: 307. ſ. 21. *dicto; ac in Academico aliquo hero ab servo experto, narrante* Alstedio l. 2. Encycl. c. 7. §. 5. *Sed cum dari eum constet,* ubi & quomodo consideretur, *potius in disquisitionem trahatur. Spectatur diversimodè.* Vel ut *pœna & molestia post lapsum primorum parentum à Deo ut judice immissa, ita Theologo inter pœnas peccati primi recensendus veniat dolor :* Vel ut *consequens & symptoma morborum vel signum partis & loci affecti est: Ita Medicus eum sibi destinabit: sic inter symptomata læsæ actionis tactus & signa cognoscendorum locorum affectorum eum enarrat:* Vel ut *onus aliquod civiliter animalibus impositum, ut cum ad triremes, valla, emuniendas urbes aliaquè onera homines sunt damnati, ita Politico, Historico & ICto meditationem suppeditet:* Vel ut *injuriam aliquam illatam consequitur, v. g. verbera, vulnera, cædes injustè illatas: aut justè à Magistratu ob grandia scelera sontibus incutitur, ut cum virgis cæduntur scelesti, rotis confringuntur,*

forcipi-

forcipibus ardentibus lancinantur: Ita ad eundem Politicum & ICtum pertinebit : Vel ut *debitis instrumentis, emplastris, malagmatibus, unguentis & similibus sisti, derivari ac inhiberi potest, Ita Chirurgo subjicietur:* Vel ut *actionum moralium probarum vel improbarum est consequens. Ita ad Ethicum pertinebit. Sic Aristoteles in Ethicis de voluptate & dolore disquirit,* l. 7. Eth. Nico. c. 12. 13. 14. *Ita in Ethicis de voluptate traditur, tanquam immediato summi boni effectu quæ voluptas mentis dici solet. Et Plato & Aristoteles virtutem rectam compositionem voluptatis & doloris dixerunt.* 2. Eth. Nicom. c. 2. 4. 2. Eudem. c. 1. 2. *Ita multis in Ethicis de voluptate & dolore agi solet.* V. Piccolomineum grad. 1. c. 15. 16. 17. Vel ut *affectio animalis causam suam continentem, ut Medici vocant, s. efficientem proximam, ut Philosophi, consequens, ita* Physiologo *subjicetur, & magnam partem* præsentis disquisitionis *objectum existit.*

3. *Dari dolorem* in naturâ, *& diversimodè considerari* in arte, *adhuc dictum est. Quibus autem momentis ipsa doloris tractatio absolvatur, porrò videndum restat. Spectabimus eum* nominaliter & realiter. Nominaliter 1. Homonymicè. *Quo sumitur vox doloris* vel Tropicè vel propriè. Tropicè vel metonymicè *pro clade, miseriâ, pœnâ & causâ doloris, sic* Psal. 18. v. 5. *circumdederunt me dolores mortis, i. e. graves clades & pericula. Sic &* Psal. 10. v. 8. 16. Psa. 32. v. 10. Psal. 38. v. 18. *Hinc panis doloris,* Deut. 16. v. 3. Psal. 127. v. 3. *i. e. calamitatis, curæ, & afflictionis. Huc pertinet versus* Ovidij l. 3. amor. eleg. 10. *Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim, i. e. adversitas hæc. Huc pertinet, cum dolor sumitur pro* dolore potentiali, *qui lædere possit, nondum lædat, quomodo in integritate dolorem fuisse dicunt quidam,* V. t. 18. 2. Metaphoricè *pro omni re molestâ, ingratâ & anxiâ, sic dolor manuum pro labore,* Gen. 5.

v.29. verbum doloris Prov.15.v.1. pro acerbo: cum dolore quærere; i:e: anxietate, Psal.116.v.3. Luc.2.v.48. *Dolores suos dare alieno, i.e. labores & labore acquisita*. Prov.5.v.10. *Dolores suos exigere* Esai.58.v.3; *pro acquisitis opibus & substantijs. Sic apud* Terent. in Phor. a.5. f.8. *Vin facere, quod ego gaudeam, & viro tuo oculi doleant, i.e. molestum sit. Sic dolor pro* contritione, *pœnitentiâ & ægritudine quadam animi sumitur in Ethicis, quando perturbationum communia consequentia voluptas & dolor dicuntur. Hinc dolere pro pœnitere apud Latinos frequens est. Vulgò dolor animi & tristitia dicitur.* 3. Synechdochicè *pro ingenti dolore. Sic vir dolorum* Esa. 53. v. 3. *An dolor est sicut meus est dolor.* Thren.1.v. 12. *i.e. vehementissimus.* Propriè *molestam passionem corporis animalis notat, ut* th. 5. *patebit, quomodo hic sumitur* 2. Etymologicè, *ubi* Logicè *vox doloris à nullâ prioris & abstractioris significati voce derivatur, quia ipsa ultimatè abstracta est, à quâ alia Logicè derivantur*: Grammaticè *dicitur à verbo doleo & voce dolo, à quâ, cum dolum omnium rerum maximè detestarentur, Latini dolorem dici voluêre, cum in simplicitate tanquam in nutrice virtutum statuissent vitam ad felicitatem, ut loquitur* Scaliger ex.299. f. 2. Perottus *à dolo, dolas, deducit, quod est minuo: Nam lætitiâ augentur Corpora, dolore minuuntur.* Alij *à Græco* δολῶ, *maculo, lædo & dolum & dolorem derivant.* v. Martinij lex: *voce dolor.* Historicè *quæratur, quis primus vocis apud Latinos inventor & appellator fuerit? Quod incertum & ægrè inquirendum.* 3. Synonymicè, *ubi dicitur etiam dolentia apud antiquos, unde adhuc composita manent, dedolentia & indolentia* ap. Cicero. l.2. d. finib. §.11. 19. l. 3. Tusc. qu. §. 12. l. 2. Offic. *Quam* Sidonius *& veteres indoloriam appellaverunt, ut observat* Becmannus *in* orig. p.408. *Item angor quandoquè, cruciatus, acerba passio, tristis sensio, tormentum: Græcis*
ἄλγος

ἄλγος, ἄλγημα, ὠδὶς, unde ὠδίνω, cum dolore parturio: λύπη, Platoni in Cratylo á λύω dicta, quòd ſit quædam διάλυσις & diſſolutio adverſa corporis, ut ἡδονὴ q. ἡονὴ, actio ad utilitatem & commodum ſpectans: Hebræis כְּאֵב *&* מַכְאוֹב Pſal. 39. v. 3. Eſai. 53. v. 3. *Item* חֵבֶל *quod & dolorem & funem notat, quod dolor quaſi funis conſtringat: Vnde* Act. 2. v. 24. *dolores inferni Syrus funes inferni reddidit: Item* עֹצֶב עֶצֶב Prov. 15. v. 1. Pſal. 139. v. 24. Germanis Schmertzwehe.

4. Realiter *ſpectabimus dolorem in definitione, diviſione, cauſis, affectionibus, & cognatis ſuis ac oppoſitis.*

5. Definitio ſit: Dolor eſt paſſio acerba in ſenſu ex objecto immoderatè ſenſorium externum afficiente excitata, animal moleſtè afficiens.

6. *Genus eſt* paſſio acerba. *Paſſio eſt actionis alicujus ab agente profectæ receptio. Eſtque* vel perfectiva, *ut erudiri,* vel corruptiva, *ut uri, verberari.* Talis paſſio eſt dolor, *ideoquè cum additamento dicitur paſſio acerba. Cum paſſio dicitur, notatur dolorem eſſe modum quendam circa ſenſationem, quo moleſtè & acerbè objectum afficiens ſenſorium percipitur. Et acerbitatem talem eſſe oportet, ut inſignis ſit, & lædat ſubjectum. ſecus non quævis moleſtia dolor erit. Sic fervor æſtatis, aliquale frigus hyemis & ſi moleſtum ſit ſenſui, non tamen inde dolere nos dicimus. Et paſſio, quæ hic pro genere ponitur, nec præcisè* ipſa ſenſatio *eſt, nec tamen* citra eam *eſt, ſed modus & affectio aliqua ſenſationem determinans.* Objectum ſentitur: *Senſio eſt objecti ſenſi receptio: paſſio eſt ejusdem ſenſionis conſequens determinatio. Vnde patet* 1. rectè á Scaligero ex. 299. ſ. 2. *& aliis dictum eſſe, dolorem non ſentiri, quòd ſenſio ipſa non ſentiatur, ſed ſpecies commoda aut incommoda ſenſionem movens. Sic viſio non videtur. Viſio eſt videndæ & percipiendæ rei ratio. Auditus non auditur, ſed ſpecies audibilis: ſapor non guſtatur,*

ſed

sed objectum sapidum sapore gustatur. Sensus non sentiuntur, sed species sensiles per sensus sentiuntur. Quæ species sunt efficientes causæ sensionum, sicut impressio est causa efficiens impressæ imaginis in ceram. E. g. gemma est res & objectum, quod sentitur. Imago Palladis quasi species rei, i.e. sculpturæ quæ in gemmâ est. Cera quasi sensus recipiens imaginem: impressio in ceram quasi sensio istius imaginis. Ea si ceram non offendat, quasi voluptas quædam sit: si laceret, quasi dolor. Sic nix alba est objectum, quod videtur: Albedo quasi species, quæ sentitur: oculus sensorium, recipiens albedinem & videns. Receptio albedinis in oculum quasi sensio, & visio ipsa albedinis. Illam sensionem comitatur vel moderatio, unde quædam suavitas in visione est, quam dicimus voluptatem: vel immoderatio in excessu vel defectu, hanc dolorem vocare consensimus. Ita dolor non est vel sensio, *sed sensionis superjecta determinatio, acerbitas nempe:* vel ipsum *quod sentitur, sed quo aliquid sentitur. Objecta species sentitur ut quod, primariò & antecedenter: modus illius & adjectaneum ut quo, secundò & consequenter. Sentitur non formaliter, sed concomitanter. Sic* dolere est sentire ut quo, dolor sensio ut quo, & affectio, non objectum. *Rem albam vel nigram videmus principaliter & objectivè: motum, quantitatem & figuram ejus consequenter & mediatè, mediante nempe albedine. Simile de dolore in sensu habendum.* Sentitur dolor *ut symptoma sensus & affectio præter naturam, ex acerba sensione orta:* non ut ipsa lœdentis objecti *molesta est perceptio. Perceptiones enim non percipiuntur.*

7. *Patet* 2. Obiter *& inaccuratè dolorem definiri* sensionem tristem, *ut vulgò fieri solet. Sic* Galenus d. loc. affect. c. 2. *Ut dolor sensus tristis: sic voluptas blandus. Commodè id ita explices, ut dolor sensio dicatur, quia ejus, in eâ, & nunquam citra eam est aut esse potest. Est sensus, non formaliter,*

liter,

liter, sed concomitanter, requiritur enim ad eum actus sensionis. Rectè inquit Thomas pri. sec. q. 35. a. 1. Galenus *sensionem definiendo non dolorem, sed doloris modum definijt, quo ille oritur. Nascitur enim dolor, cum tristis & molesta fit sensio: & nunquam sine illâ nascitur. Molestia, quæ dolor est, semper cum sensione conjuncta est, & ab eâ velut proximâ causâ pendet: Unde Galenus per causam dolorem inferentem dolorem definijt, & sensionem tristem appellavit. Conf.* D. Sennert. l. 2. inst. Med. p. 3. s. 1. c. 6. *Nec infrequentes sunt tales definitiones causales. Sic tonitru ex tinctio ignis in nubibus dicitur, pro; sonitus ex extinctione ignis in nubibus ortus. Sed accuratè spectando nec vox sensionis nec vox tristis pro genere doloris poni potest. Non* sensio. 1. *Quia sensio est receptio speciei sensibilis. At dolor est aliquid supra illam receptionem adjectum, eamquè ingratè determinans. 2. Si dolor esset sensio quædam, & contrarium ejus, voluptas foret sensio, sunt enim opposita sub eodem genere distantia. At hæc non sensio, sed sensionis jucunditas & suavitas quædã est, consequens sensionis, non ipsa præcisè sensio. 3. Om. affectus aut aliquid simile est affectio & consequens sensionis, non ipsa præcisè sensio. Sic amor & odium, appetitio & fuga, sequuntur objectũ visum, non sunt ipsæ objecti visiones. Sed dolor & voluptas sunt instar affectuũ, jucũditatis vel injucũditatis in objecto percepto. E. sũt determinationes consequentes sensionem rerum, non ipsæ sensiones. Sic* Arist. 2. d. an. c. 3. t. 27. *voluptatem & dolorem per jucundum & molestum explicat. Sic in podagrâ est qualitas sensilis, quæ sentitur. Dolor est molestia & injucunditas istius qualitatis sensu perceptæ, non præcisè ipsa qualitatis sensatio. Et hoc modo expressè* Aristot. *voluptatem negat esse vel mentem, vel sensum: sed quia non separetur ab operatione, idem cum eâ quibusdam videri ait* 10. Nicom. c. 5. *Idem de dolore habendum.* Et 2. d. animâ c. 3. t. 27. & l. d. somno c.

1. *Cui sensus inest, ei & voluptatem & dolorem, jucundum & molestum inesse ait.* Non vox tristis. *Nam 1. Tristitia propriè sumendo est affectus quidam in facultate appetitivâ residens, ubi cor constringitur ob objectum præsens ingratum. Dolor non affectus appetitus est, sed consequens sensionis & facultatis sentientis: 2. Tristitia propriè consequitur passionem dolorosam in dolente: Terminus enim passionis in dolore molestia est, quam ubi percipiunt dolentes, ex objecto ingrato & odibili sensum infestante tristantur, si mente sibi constiterint. 3. Omnis sensio est actio animæ sentientis. Sed actiones vocare tristes vel lætas insolens in loquendo est & abusivum. Lætitia & tristitia sequuntur actionem, tanquam affectus diversi ab ipsâ actione. Non ergò ipsa actio læta aut tristis dicenda, sed animal lætatur vel tristatur actione benè vel pravè expeditâ. 4. Si latè & analogicè tristitia sumatur pro injucunditate quadam, rectiùs dicetur acerbitas, prout in definitionibus vocabula maximè propria adhibere debemus, si suppetant, non lata vel analogica. Rectius ergò genus est* passio molesta, *quàm sensio tristis: passio enim & sensionem & sensionis consequens, suavitatem vel molestiam notare potest: Sensio ipsam speciei sensæ receptionem tantùm notat. Sensio est passio quædam ratione speciei sensibilis: Sed insuper actio ratione facultatis sentientis. Sed dolor est passio tantùm, non actio. Nec quævis actionis receptio statim est actio, passionis enim illa est definitio, actionis receptio. Hoc si per appræhensionem objecti ingrati in sensum intelligatur, potest dolor appræhensio dici cum Bodino* l.4. Th.nat. p.447. *Sic eruditio, illuminatio, passivè sumpta, receptiones actionum sunt, actiones non sunt. Et ita rectè in genere hoc doloris assignando* Mercatus T. 1. Op. l.3.d.morb.p. 1. q.180.a 8.§.54. Keckerm. præc.Ethic.in fine. Plato dial:de naturâ alijque. *Nec dicendum.* 3. Dolorem *simpliciter esse corporis læsionem ab*

nem ab ingrato objecto incussam. Nam hæc propriè objectum & efficiens doloris est: læsionis istius applicatio & passio ex eâ in sensu resultans propriè est dolor. Ad dolorem enim præter læsionem requiritur læsionis perceptio: Non enim quisquam dolere dicetur, si lædatur, sed læsionem non sentiat, ut in stupore, medicamentis anodynis, aut morbis sensum tollentibus contingit. Hic nemo dolere dicitur, nisi molestationem lædentis sensu percipiat. Conf. Becanum p. 3. Th. sch. tr. 1. c. 12. q. 6. Peucerus de divin. p. 485. negat dolorem esse perceptionem, sed affectionem præter naturam ex istâ perceptione ortam. Sicut delectatio affectio secundum naturam recreationem sensus â conveniente objecto consequens. Vbi perceptionem sumit pro ipsâ sensione, sic rectè negatur, dolorem esse sensionem, cum sit passio aliqua molesta eam consequens, Vt ante dictum.

8. Alij dolorem & voluptatem esse motus censent, quam communem opinionem Medicorum & Physicorum esse affirmat Timplerus l. 2. emphsy. c. 9. q. 1. Quibus accedit Cicero 2. Tusc. §. 35. motum asperum in corpore à sensibus alienum dolorem definiens. Ad hos Latini, Plato, & Stoici pertinent, qui principales affectuum species vol: & dolorem censuerunt, ap. Piccolomi. grad. 1. c. 15. & Eustach. S. Pauli p. 3. Ph. tr. 2. d. 2. q. 9. qui per affectum definit. Rationes Timplerus adducit, quòd omnis affectus sit motus, voluptas autem & dolor sint affectus: Quòd sensus sit motus quidam: Et voluptas sit sensus rei jucundæ, dolor molestæ: Quòd alteratio sit motus: Sed voluptas & dolor sint alterationes apud Aristotelem l. 7. Phys. c. 2. t. 2. c. 3. t. 15. Quòd voluptas sit motus sensilis animæ in convenientem naturæ statum, apud eundem l. 1. Rhetor. c. 11. E. è contrario dolor motus sensilis in molestum naturæ statum. His rationibus facilè occurritur. 1. Falsum est, voluptatem & dolorem esse affectus,

sunt enim consequentia facultatis sentientis, non appetentis, ut th. 6. *dictum.* 2. Populariter *dolor dicitur sensus: accuratè est molestia sensationis.* 3. Voluptas *& dolor non sunt alterationes, sed molestiæ aut jucunditates ex alterationibus sensuum moderatis vel immoderatis profectæ. Si sensio ab specie sensibili alteretur moderatè, oritur suavitas, quæ voluptas dicitur: si immoderatè, insuavitas, quæ dolor. Sunt alterationes subjectivè, quia alterationum & in alterationibus sensuum: non formaliter. Nec* Aristoteles c. l. *voluptatem & dolorem alterationes vocat, sed alterationes in sensibilibus contingere docet. Si alterationes fortè vocat, exotericè & extra propriam sedem ita vocat, quia afficit subjectum suaviter vel molestè, & sic alterat, unde alterationi analogum quid est.* 4. Falsum *est, voluptatem esse motum: est motuum & actionum commune consequens cum dolore. Hinc* Aristot. *expressè negat eam esse motum, quod non fiat in tempore & finis alicujus gratiâ, ut motus solent.* l. 10. Eth. Nicom. c. 3. 4. *Et consequens affectuum motuumq́; vocat.* l. 2. c. 2. 4. & l. 2. Eudem. c. 2. *totum aliquod ac individuum, terminum motus & mutatum esse, non motum.* 10. Nico. c. 4. *Imò magis in quiete eam consistere, quàm motu ait* l. 7. Nicom. c. 15. *Esse finem & operationem, non generationem.* 7. Ethic. c. 13. *Si interdum motus vocetur, analogicè & παχυλῶς id erit, non rigidè. Sumitur enim perturbatio interdum* latè, *ut & ipsum motum appetitus sensitivi, & ejus principium, & consequens ac affectionem, & quidquid ad eam pertinet, significet. Quâ ratione dolorem perturbationem dicere nihil impedit.* Conf. Piccolom. c. l. c. 16. *Et ita motionem vocat* 1. Rhet. *ut simùl dicat κατάστασιν,* conditionem *& statum convenientem. Ita dolor erit conditio inconveniens, i. e. passio ingrata, ut apertiùs dicitur.*

9. Alij *voluptatem dixerunt rem convenientem affe-*

ctibus

*ctibus animæ; dolorem rem inconvenientem illis,ap.*Goclen. in adverſ. ex: 10. *Nimis generale hoc eſt.* 1. Quædam *voluptates ſunt compoſiti, non animæ. Vt voluptas venerea, eſus potus.* 2. Quidam *affectus ſunt animæ convenientes, nec tamen voluptates ſunt. Vt odium, metus, triſtitia, ira. Somnus, edere, bibere, ſunt res animæ ſentienti convenientes, non tamen voluptates.* 3. Quædam *res planè diſconvenientes animæ ſunt, nec tamen dolores, ut febris hectica, atrophiæ, phtiſes, &c.* 4. Voluptas *non eſt ipſa res conveniens, ſed rei convenientis perceptio, ſ. pasſio jucunda: ſic dolor non res diſconveniens, ſed talis rei perceptio ſeu pasſio acerba. Hinc in dolore non objectum ingratum tantùm, ſed & ejus ſenſum eſſe oportet.* th. 7. Alij *voluptatem & dolorem per qualitates definiunt, ut* Timpl. c. l. tùm *quia per delectationem ac moleſtationem inferantur animali ab objecto ſenſili:* tùm *quia ſint diſpoſitiones animalis vel ſecundum naturam, ut voluptas, vel præter eam, ut dolor. Hoc 1. per genus reductivum & remotisſimum rem definire eſt, cum hic quæratur proprium & proximum. Dolor reductivè & remotisſimè eſt qualitas, quia in qualitate & cum eâ eſt, quam comitatur: propriè & propinquè non qualitas, ſed pasſio acerba eam ob immoderationem ſequens eſt.* t. 6. *Sic punctum non eſt quantitas, ſed principium ejus, & ſic reducitur ad eam. Vnitas non numerus, ſed principium ejus, & reducitur ad illum: Fervor & tepor formaliter non calor, ſed gradus & modi caloris ſunt, unde ad Categoriam ejus reducuntur, & exotericè ac materialiter calores vocantur. Sic & dolor qualitas, quia ad eam ut inſuavitas quædam pertinet. 2. Præciſè ſpectando dolor in qualitate non eſt, Quia* in nullâ ſpecie qualitatis. *Non habitu, potentiâ, qualitate patibili, aut figurâ, ut patet.* Diſpoſitionem *asſignat* Timplerus, *ſed malè. Nam* 1. diſpoſitio *qualitativa, de prædicamento qualitatis eſt via & gradus*

gradus ad habitum, ut perfectionem & finem. Dolor non talis via, non enim ad aliquid tanquam medium ad perfectionem tendit, cum sit acerbitas & molestatio naturæ, non perfectio. Imò potius ad corruptionem disponit, quàm perfectionem, ut post Timplerus ait. Et est consequens aliquid affectuum & posterius, ut t. 7. visum, non medium & antecedens, ut actus habitum. 2. Pósito, *disponere dolorem ad aliquid, prout ad corruptionem disponere dicitur; Non statim per id velut per genus definiendus. Actus pravi disponunt ad habitum vitiosum; Non ob id per dispositiones definiuntur, sed per actiones. Coctio prima in ventriculo disponit ad secundam & tertiam. Nec statim dispositionem pro genere in definiendo assignabis: Nutrimentum disponit ad accretionem, nec dispositio ejus genus statim. Virtus disponit ad beatitudinem civilem, ut medium ad finem: Non tamen genus ejus est dispositio. Aliud est, rei competere, aliud genus ejus esse: aliud competentia & affectio, aliud genus. Homini competit risus, docilitas, motus, non ea ejus genus.*

10. 3. Dolor *disponit ad corruptionem non per se & formaliter, ut dolor est, sed per aliud & materialiter, ut in materiâ morbidâ & peccante est. Morbus & materia morbida ac intemperata ad corruptionem disponunt per se: Quod illis dolor sit additus, id est per accidens. Per se ille abstrahit à corruptione & perfectione: Vt morbidæ & malignæ materiæ dolor est, ita ad corruptionem propter peccantem materiam disponere dici potest.* Argumentis ejus *ante adductis facilè satisfit.* 1. dolor *& voluptas non per delectationem & molestationem inferuntur animali, sed sunt ipsæ delectationes & molestationes sensionum ex objectis moderatè vel immoderatè perceptis illatæ. Et licet ita inferantur animali, non ob id dispositiones erunt. Et ira sic infertur quandoq; non tamen dispositio, sed affectus, qui ad passionem qualitatis reducitur*

citur

citur. 2. Voluptas & dolor dicuntur dispositiones animalis secundum vel præter naturam generalissimo sensu, i. e. affectiones. Inde dispositio non potest genus ejus in definitione esse. Definitio enim debet fieri per proxima, non remota, per 6. Top. c. 4. Affectio doloris est, quod sit dispositio animalis, non conceptus Synonymus genericus. Sic virtutes dicuntur facultates, quia similitudinem earum habent, non propterea genus earum facultatem dices.

II. Alij voluptatem & dolorem communia genera omnium perturbationum & affectuum esse putant, & affectus sub illis velut species sub generibus contineri, ut omnis affectus sit motio animæ sensitivæ ab voluptate vel dolore excitata. Ita Aspasius ap. Piccolomin. grad. 1. c. 15. Qui pro hoc allegat 2. Nicom. c. 3. Vbi nihil horum invenio. Veteres ita sensisse tradit Scalig. ex: 316. f. 1. Falsò & hoc. 1. Quia sunt consequentia affectuum, non ipsi affectus. 2. Quia ira inter affectus est, ut constat, & ad appetitum irascibilem pertinet. Sed dolor ad facultatem sentientem. t 8. Non ergò dolor genus iræ, & sic consequenter nec affectus esse potest. 3. Voluptas ita sequitur affectum, ut sequitur actiones, per 2. Eudem. c. 2. Sed actionem non ut genus vel habitus, sed ut finis superexoriens & venustas floridam ætatem consequens sequitur, per 10. Nicom. c. 4. Ita ergò & dolor actionem & affectum sequetur. 4. Genus directè prædicatur de suâ specie. Sed voluptas & dolor non de affectibus. Non enim dices, ira est dolor: Sed est affectus ex dolore in nobis concitato ortus. Non, spes est voluptas de futuro bono: Sed affectus ex voluptate futuri boni præconcepti ortus: non, metus est dolor de malo futuro, sed affectus vel passio ex dolore de malo futuro orta. 5. Distincta genera non miscentur pro constitutione alicujus speciei. Sed voluptas & dolor in aliquo affectu miscentur, ut in misto, qualis est ira, odium, Zelotypia. Non

ergò genera affectuum sunt, sed communes affectiones. Alij voluptatem *& dolorem effectus sensationis ajunt, ubi spiritus à re vel conveniente vel adversante sibi afficiatur vel cum titillatione, vel læsione.* Comenius c. 10. Phy. §. 42. *Commodiùs sensionis consequens & affectio ingrata dolor dicitur. Sensus non propriè efficiunt dolorem, sed objectum molestum: sensus recipiunt passionem molestam ab objecto excitatam, tanquam affectionem acerbam.* Conf. t. 15. Alij actum *appetitus sensitivi dicunt.* Morisan. d. 2. Phys. q. 14. *Est potius consequens actus sensitivi, & passio quædam, quàm ipse actus.* V. t. 6. 7.

12. *Hactenus* genus doloris: differentia *est in verbis:* in sensu ex objecto immoderatè sensorium externum afficiente excitata. *His partim* causa efficiens proxima, *continens Medicis dicta, & quasi formalis, ut Philosophi vocant, doloris explicatur: partim* subjectum immediatum, *proximum, & inhæsivum, cui dolor ut passio quædam inhæret. Prout in definitionibus accidentium inhærentium differentias à causis & subjectis formalibus assignare non insolens in Philosophicis est. Sic tonitru sonus in nubibus ab extinctione ignis excitatus: Eclipsis Solaris obscuratio luminis in Sole ab interpositione Lunæ orta definitur.* Ex causâ proximâ & continente *dicitur, quòd in sensu ex objecto immoderatè sensorium externum afficiente excitetur. Hoc est:* Vbicunquè *est objectum aliquod immoderatè, i. e. acerbè, molestè, & injucundè sensorium externum afficiens, ibi est dolor:* Et vice versâ, *ubi est dolor, ibi sensorium externum immoderatè afficitur. Esse autem talem affectionem in sensorio causam doloris proximam & continentem plures Medicorum & Philosophorum consentiunt. Vt* Hor: Augenius l. 2. epis. Medic: ep. 2. Andrigettus d. Andriget: ap. Bartholin: ex: 8. probl. Medic. q. 3. Barthol. c. l. Mercatus loco

t. 6. citato. Hippocrat: l. d. locis in hom. *ubi cauſam doloris ſtatuit, quicquid naturam alterat & corrumpit, i. e. objectum diſproportionatum naturæ.* Galenus l. 2. d. caus. ſympt. *Vbi ſenſus à ſuo naturali ſtatu dimotionem dolorem inferre ait.* Septalius in ſ. 34. probl. Ariſtot. q. 2. Raconis d. d. an. ſent. q. 2. a. 5. n. 3. Peucerus d. Divin. p. 485. Et probatur. 1. Quia *in omni dolore requiritur aliquid ſenſionem lædens, ut inductione conſtat. Non enim eſt dolor, niſi ubi ſenſus & animal ab aliquo lædatur.* V. th. 6. *At omne lædens ſenſum eſt objectum ei diſproportionatum, & immoderatè eum afficit. E. hoc objectum proximè dolorem faciet.* 2. Quia *ſublato objecto lædente, aut derivato, lenito, impedito, tollitur dolor. E. iſtud proxima cauſa doloris.* 3. Quia *idem quoad rem eſt objectum doloris, quod objectum ſenſus, & ſi diverſo modo. Eſt enim dolor modus quidam & determinatio ſenſionis ingrata, per* th. 6. *Sed ſenſus objectum eſt omne id, quod ſenſus actum afficit. E. & hoc quoad rem erit objectum doloris: quoad formalitatem, quatenus improportionatè ſenſum afficit.* 4. Quia *omnes cæteræ cauſæ ad hanc ut formalem reducuntur. Intemperies primæ qualitatis, unionis ſolutio, objectum tactivum, ſenſus ingrati, ſales reſoluti, faciunt qualitatem in ſenſu diſproportionatam, & per hanc ut proximum formale dolorem inferunt ſenſui. E. hæc vera & adæquata cauſa.* Non obſtat, *objectum incommodum eſſe extra animal, dolorem in animali, &* Horſtius *regerit. Species enim objecti recepta eſt in animali: & hæc receptio ſi ſit moderata, oritur voluptas: Si immoderata, dolor. Eſt enim dolor immoderati objecti recepti paſſio ingrata. Sic viſibile eſt extra viſum: receptum tamen per ſpeciem in viſum, ſi nimis excellens ſit, viſum lædit.*

13. *Magna aliàs inter Medicos de adæquatâ doloris causâ ſententiarum varietas.* Præter aſſignatam *ſunt* ſex *in univerſum ſententiæ.* 1. Quidam *intemperiem primarum quali-*

qualitatum causam dolorum statuunt. Averroës l. 3. colliget. c. 13. Vallesius l. 5. cont. Med. c. 5. 6. Hæc causa 1. partialis & accidentalis est, non essentialis. Interdum dolor est ab intemperie primarum qualitatum, ut cum nimio calore manus aduritur, nervus nimiâ siccitate contrahitur, & spasmus oritur. Sed sæpè sine tali intemperie est, ut cum virgis quis cæditur aut fustibus vulneratur, &c. 2. In actu positâ tali intemperie non statim ponitur dolor. Sic in febre hecticâ est intemperies caloris, dolor non est. Sic frigore emorientibus intemperies frigoris adest, dolor sensibilis non adest. 3. Sępè curatur intemperies in morbis, nullo curato dolore, ut vel ex mille intemperierum sortibus patet, ut loquitur Mercatus c. l. E. non ubicunque intemperies, statim dolor. Et sic non perpetua doloris causa. 2. Alij solutionem continui pro causâ adæquatâ adducunt. Quibus Græcum λύπη, quasi λύσει ἕπεται, solutionem continui sequatur, & Saxonicum schmertze/ quod à μέρδω, & hoc à μείρω, divido, subveniat. Quæ sententia fermè vulgata inter Medicos est, quam præeunte Galeno l. 4. d. med. simpl. l. 1. d. caus. symp. c. 6. sequuntur Mercatus c. l. D. Sennertus l. 2. inst. Med. p. 3. s. 2. c. 3. Greg. Horstius dec. 3. prob. ther. q. 9. §. 8. 9. Cæsalpin. l. 2. qu. Med. q. 12. Et hæc receptissima sententia apud eos, qui se Galeni jactant discipulos, ut loquitur Vallesius l. 5. contr. Med. c. 5. Hæc sententia de continui solutione strictè dictâ, qualis in ruptione, vulneratione, sectione, falsa est. 1. Sæpè in parte insensibili solvitur continuum, ut in osse, cartilagine, ubi nullus dolor. 2. Membra stupore affecta solvi, secari, rumpi, & omninò in continuitate divelli possunt, nullo tamen dolore sequente. Sic anodyna & narcotica sensum sistunt, ut continuum solvatur, nullo percepto dolore. Ad dolorem enim præterea sensus requiritur, non sola unitatis solutio, ut th. 7. patet. 3. Sæpè causatur dolor,

ubi

ubi continuum non solvitur, sed unum manet. Vt si fustibus, ferulis, quis cædatur. Lapis ponderosus capiti impositus, dolorem ciebit, continuum non solvet. Pondus manui injectum comprimet eam & dolorem incutiet, nullâ unitate sensibiliter solutâ. 4. Doloris esse sæpè continuatur & manet in afficiendo, cum continui solutio jam peracta est, ut in ruptione & fracturis patet. E. non est continens & continua doloris causa. De solutione continui analogicâ & latè sumptâ, ut notet omnem subjecti à statu naturali mutationem in distemperatum & improportionatum, accepta hæc sententia causam aliquam doloris omninò dicit, sed quæ ad nostram assignatam benè reduci potest, subq; eâ continetur. Mutatio enim sensorij distemperata ab objecto improportionatè sensorium afficiente fit, cujus immoderatæ affectionis receptio & passio est dolor. V. t. 12. Quomodo video, quosdam Authores hic se explicare, quòd partes organi vel sensibiliter per secundas qualitates, vel insensibiliter per primas solvi, & malâ ac innaturali dispositione affici intelligant. V. Horst. c. l. Pincier. p. 347. ænigm. Goclenium Lex. Ph. voce dolor. Vallesium c. l. De allusionib. vocum λύπης & schmerten / in discursu. Contingentes illæ rationes præbent, & in reipsâ vix solidi aliquid concludunt.

14. 3. Alij & intemperiem & solutionem continui pro unâ causâ jungunt. Galen. art. Med. c. 80. l. 2. d. loc. aff. c. 5. l. 2. d. rat. vict. t. 5. Pincierus l. 3. anigm. æn. 29. Goclenius c. l. Eustachius s. Pauli. p. 3. Phy. tr. 2. q. 9. disp. 2. D. J. Martin. C. 4. d. 5. q. 7. n. 8. d. 6. q. 7. C. 9. d. 4. q 8. Conimbric: in 2. d. anim. c. 11. q. 2. a. 2. Pareus l. 25. Chirurg. c. 19. Avicenna sec. pri. doct. 2. c. 19. Sed 1. Ita unius effectus duæ causæ proximæ & adæquatæ statuuntur, cum hæc semper unica. Remotæ plures esse possunt: Proximæ ad unam communem efficiendi rationem, ut formale, sunt re-

ducendæ. 2. Nec *intemperies per se, nec continui solutio per se causant dolorem. E. nec conjunctæ. Sic in cæco nec hic, nec ille oculus videt. E.nec conjunctim.* 3. Intemperies *lædit ut qualitas distemperata, solutio continui, ut eadem qualitas. E. potius distemperata qualitas sensum molestè afficiens, formale in causâ est doloris.* Objectum *distemperatam qualitatem validè & subitò sensorio inducens est formale in causâ doloris.* Alteratio *primarum qualitatum in intemperie, & unionis solutio in secundis qualitatibus sunt materialia sub uno formali, distemperatâ sensorij qualitate contenta, & ad illud reducenda. Materialia diversissima esse possunt: formale unicum est. Et ita ipse* Goclen. c. l. *immutationem offensivã affectionis naturæ inconvenientis, & ejus appræhensionem radicem doloris rectè agnoscit. Sic dolorem cient & calor & frigus, ut patet, & humiditas & siccitas, ex quarum absentiâ dolor oritur, ut in fame ex absentiâ sicci, in siti ex absentiâ humidi, & siccitate in locum ejus succedente, vel nimis copiosè præter naturam partem aliquam implente, ut in tympanite & colicâ passione: Omnia tamen hæc sub uno formali qualitatis improportionatæ dolorem subjecto inferunt.* 4. Alij omne tactivum *objectum doloris causam agnoscunt,* ap. Barthol. c. l. *Hic etiam* 1. Materiale *potius quàm formale doloris adducitur. Objectum tactivum dolorem causat, sed per certum modum, immoderationem.* 2. toties *dolor oriretur, quoties tactus objectum suum sentiret, quod contra sensum.* 3. Dolor *esset ipse sensus tactus, nam hic pro formali objecto tactivum habet, seu tangorem, ut ex Neotericis vocat* Comenius c. 10. Phys. §. 36. *At non ullus sensus formaliter est, ut* th. 6. *visum: Sic nec tactus esse poterit.*

15. 5. Timplerus l. 2. empſ. c. 9. q. 2. & Raconis diſ. d. an. ſent. q. 2. a. 5. n. 3. *sensum & perceptionem rei ingratæ proximam causam agnoscunt. Sed* 1. ſenſus *subjectum*

jectum potius proximum doloris est, ut t. 17. patebit, quàm vel ipse dolor, vel proxima ejus causa. 2. Dolor *non est sensus, & si in eo,* th. 6. *E. nec sensus ingratus.* 3. Potiùs *sensio rei ingratæ ipse dolor dicenda esset, quàm causa doloris. Dolor est ipsa molestia sensionis, vel cum quibusdam loquendo, ipse sensus ingratus. De hujus causâ quæritur, non ipse sensus sui ipsius causa esse potest.* 6. Hermetici & Chymici *dolores à spiritibus salium resolutis ut causis proximis deducunt.* P. Severin. ide. Medic. c. 13. p. 331. Quercetan. consil. d. arthrit. Nollius l. 10. Phy. Herm. c. 7. *unde quæ partes plurimo & validissimo sale constant, eas plurimum dolere dicunt, ut oculos, ventriculum, intestina. Hæc causa* 1. partialis *est, non universalis. Sæpè distemperatio qualitatis fit à fluxionibus acribus serosis, vel resolutis tartareis mucilaginibus. Sed sæpè etiam citra eas fit. Sic in cæsione, punctione, vulneratione, contusione, sectione, ustione, calefactione, vel refrigeratione externâ, sine resolutione talium spirituum est dolor. Nam* relollaceos illos *& à corporibus & qualitatibus mortuis productos dicere nihil est, ut* Severin. c. l. *facit. Cum sensus intensissimos & exquisitissimos esse testetur. Tantum dolorem ignis urendo infert, quantum unquam spiritus salis resolutus inferre queat.* 2. Materialis est, *non formalis. Reddit rationem doloris ex ipso corpore animali orti. At præter hunc alij longè plures sunt ex causis externis orti.* Materiale *est in causâ doloris, quòd à spiritu salis proveniat:* formale *& perpetuum, quòd ab objecto acerbè tactum afficiente oriatur. Hoc formale multa materialia sub se comprehendere potest. Vt spiritus salis erodentes, acidos, mucilagines tartareas & corrosivas, ustiones, sectiones, tusiones, punctiones, & similia, quæ infinita esse possunt, & sub uno formali & adæquato convenire debent, nempe, intemperatam affectionem sensorio inducere.* 3. Curæ dolorum *non convenit. Non semper tol-*

 litur

litur dolor, si spiritus salini ex mucilaginibus acribus prodeuntes resolvantur, dissipentur, aut sulphure anodyno absumantur: sed & sæpè si temperies qualitatis primæ inducatur, intemperies absumatur, citra istorum spirituum resolutionem. Sic in manu calefactâ, frigefactâ, &c. Sæpè solâ cessione sistitur dolor: ut si â cædendo, pungendo, desistas. 4. Nec ad dolores ex ipso corpore malè affecto prognatos est universalis causa. Nam & ex calore nimio ibi dolor esse potest, ut in febre quartanâ, causo speciali; vel frigore nimio, ut in colica, convulsionibus. spasmis, & similibus affectionibus. 7. Plato dial. d. naturâ causam doloris statuit, quicquid præter naturam abundè & simùl nobis infertur. Hoc ad nostram causam referri potest. U. t. 12.

16. Ex subjecto proximo & immediato dolor dicitur passio sensorium externum afficiens. Subjectum doloris est, in quo dolor est, illudq́ afficit. Hoc est vel totale & denominationis, estq́ vel commune, ut animal universè sumptum: vel principale, ut homo: & hic vel universè sumptus, ut quivis homo: vel singulariter & eminenter, ut Christus & Adamus: Vel partiale & inhæsionis, Cui dolor inhæreat, hoc est actus sensitivus: vel infestationis & molestationis, quod molestat, & hoc est sensus externus, & qualibet pars corporis, sensu tactuq́ prædita: Hoc iterum vel commune est, & est sensus externus in universum sumptus: vel exquisitum. Hoc est sensus tactus. Dicitur 1. sensus, ut excipiantur 1. animata insensata, ut plantæ, vel prorsus non animata, ut metalla, lapides & similia. Illis voluptates & dolores non competunt. 2. d. an. c. 3. t. 27. Interdum dolor plantis tribuitur. Sic palma dolere dicitur, si altera sui sexus evellatur. Sed id per analogiam & similitudinem intelligendum, quomodo rationem & virtutes in brutis dicimus, intelligendo umbras earum & idola. 2. Viva incorporea, ut angeli,

geli, animæ separatæ. Illis dolores Physici, de quibus hic agimus, non competunt, quia sensus formalis & actualis illis non competit, cujus aliqua passio dolor est.

17. 2. Sensus externus, *ut excipiantur* interni, *velut sensus communis, phantasia, memoria, quibus dolores corporei non competunt:* & operationes intellectuales, *in quibus si dolor statuitur, magis est moralis & eminens, quàm Physicus & sensitivus, ut cum dolere de peccatis aut infortunijs intelligens dicitur, delectari de rectè actis. Sic angeli gaudere de pænitentiâ dicuntur.* Luc. 15. v. 10. *Excellente cognitione voluptate perfundi doctos dicimus. Hæ oblectationes & tristitiæ majoris generis sunt, quàm sensuales, de quibus hic.* 3. sensus externus universus, *ut & visui & gustui, & reliquis dolor competat. Potest enim omnis sensus ab objecto aliquo improportionato recepto lædi, & sic dolor ipsi inferri. Sic visus à nimio fulgore adeò læditur, ut prorsus destruatur, ut milites Annibalis in nivibus ambulantes, & captivi ex carcere obscuro in domum lucidissimam calce extructam à Dionysio inducti docent, ut* Galenus l. 10. d. us. part. c. 3. *refert. Auditus à nimio sono obtunditur, ut obsurdescat, gustus à nimiâ saporis acredine violatur. Vnde rectè Scalig.* ex. 299. s. 2. *In omnib. sensibus sunt voluptates: Quod qui negat, nunquam conspexit viridariorum amœnitates. Quare & dolores. Contraria enim sunt. Sed propter duas causas minùs apparet hoc.* Tùm quia rariùs, tùm quia leniùs eveniunt. *Negat id* Vallesius l. 4. contr. med. c. 4. *argumento quodam, Cujus solutionem subministrat* Goclen. in advers. ex. 10. 4. Tactus dicitur subjectum exquisitum: *maximè enim propriè tactus dolorem patitur, & propter hunc sensus cæteri. Vnde cum tactus malè habet, dolere dicimur. Et reliquis sensibus potiùs læsionem, tactui propriè dolorem quidam tribuunt. Secundum illud:* Omne excellens sensile lædit suum

ſenſum. 5. Partiale ſubjectum *dicitur etiam quælibet pars corporis ſẽſu prædita,ũde variæ doloris appellationes,capitis cephalalgia,dentium odontalgia & acor ſ: hæmodia, inteſtinorũ colica,auriũ ophtalmia,de quibus* Medici *ſpecialiùs diſquirũt.*

18. Subjectum totale *doloris dicitur & animal brutum, & homo, & eminentiſſimi hominum,Chriſtus & Adamus. De brutis & hominibus res evidens eſt.* In Chriſto *ſecundum carnem dolores & Phyſicos & morales fuiſſe negârunt olim* Cerdoniani & Manichæi ap. Auguſtin. l. d. hæreſ. c. 21.& 46. *affirmant* Thomas p. 3. q. 15. a.5. 6.Lombard.l.3.ſent. d.15 Vaſquetz d. 62.c.2. Becan.p. 3. Th. ſch. tr. 1. c. 12. q. 6. Valentia T. 4. d. 1. q. 15. p. 4. Corn. â Lapide in 1.Petr. 4. v.1. *Et probatur.* 1.Scripturâ, *in quâ verè dolores noſtros portâſſe,* Eſai. 53. v. 4. *paſſus eſſe.* Luc. 24. v. 26. 1. Pet. 4. v.1. Hebr. 2. v. 10. *& vir dolorum dicitur,* Eſai. 53. v. 3. 2. Ratione. *In Chriſto fuit læſio corporis & receptio iſtius læſionis ſeu paſſio. E. & dolor. Sic fames & ſitis in eo fuerunt.* Mat. 21. v.18. Joh. 4.v.6.7. *quæ dolorem inferre ſolent.* 3. Patribus: *de illis vide* Val. c. l. *Diſſentire videtur* Hilarius, *de quo* Bec. Valen. & Lombard. c. l. *videantur. Dolorem moralem, triſtitiam & angorem Chriſto eadem ſcriptura tribuit.* Mat. 26. v.38. Luc. 19. v. 41. Joh. 11. v. 35. *Sic fletum quater de ipſo colligimus. In circumciſione,* Luc. 2.v.21. *in excidio Ieruſalem.* Luc. 19. v. 41. *Lazari ſuſcitatione.* Joh. 11. v. 25. *& orationibus.* Hebr. 5. v. 7. *Eminentiore tamen modo illa in Chriſto fuerunt, quàm nobis. Nam in nobis ſæpè ſunt de illicitis, contra ſanam rationem, cum pravo conſenſu & affectu voluntatis, & perturbatione ſanarum actionum. In Chriſto & ratione principij, & objecti, & effecti fuerunt ordinatiſſima. In nobis poſt lapſum humanæ conditionis neceſſitate ſunt, in Chriſto miſerationis voluntate ſuſcepta fuerunt. Pro nobis enim paſſus eſt.* 1. Pet. 4. v. 1. In Adamo poſt lapſum

psum *dolores & angores fuisse patet ex pœnâ divinâ* Gen. 3. v. 17. 18. *& Caini homicidio* c. 4. v. 8. *Sed* an & ante lapsum *dolor in protoplastis locum habuerit, quæsitum est?* Photiniani *affirmant.* Socinus d. stat. pr. hom. p. 278. *Evam etiam ante lapsum cum dolore liberos parituram ait.* Jenenses in cens. c. Rahman. c. 2. *dolorem in statu integro agnoscunt, sed qui non læsisset hominem. Distinguendum hic* inter dolorem actu & potentiâ. Potentiâ dolor *in homine integro locum habuit, fuit enim talis, ut lædi & dolore infestari potuerit; habuit corpus animale & passibile, quod dolores pati potuerit: fuit creatus ad vitam animalem & naturalem, ut famem, sitim, æstum, lassitudinem experiri potuisset, quæ dolorem comitem trahunt: nondum spiritualem & gloriosam ubi nullus dolor locum habere potest. Sic solutio continui in utero parientis Evæ dolorem parere potuisset:* Actu *dolor in integritate locum non habuit, creatus enim fuit homo in summâ felicitate, citra dolorem, angorem, miseriam; immortalis & impassibilis actu.* Sap. 2. v. 23. *Cum gratiâ divinâ perpetuò tuente & noxia avertente, ne actu aliquid ipsum læderet.* Sap. 10. v. 1. *Vnde mulieri minatur Deus dolores partus actuales, si peccet, &* causale *subaudiendum ex præcedente versu: Quia fecisti hoc: Et solutio uteri tùm facilis & spontaneâ laxitate membrorum à Deo factâ fuisset, ut dolor omnis inde emersurus inhiberetur. Non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxasset, ait* Augustin. 14. d. Civ. de. c. 26. *παθητικὰ & alterabilia fuerunt corpora ante lapsum:* patientia *& dolenter alterata non fuerunt. Et sic rectè negant dolorem in statu integro* Augustin. c. l. Pererius l. 6. in Gen. n. 155. 156. D. Gerhard. T. 2. d. pecc. orig. §. 122. *Vbi* Ambrosium 2. d. voc. gent. c. 2. & August. ep. 28. ad Hieronmy. allegat. D. Stegmannus d. 9. Phot. q. 7. Valentia T. 1. d. 7. q. 4. p. 1. Zanchius p. 3. d. hom. l. 3. c. 4. mem. 1. q. 6.

C. à Lapide in c. 3. Gen. v. 16. *aliiq*. *Ita præmissâ distinctione doloris potentialis & actualis dici potest, Dolorem in integritate fuisse, sed qui non læsisset. Secus dolorem sine læsione dicere est somnium sine somno dare. Est enim dolor* lædentis objecti ingrata passio. t. 5. *Ita se ipsi* Jenenses *explicant* gegenb: Rath. n. 5. *Additur* ultimò *in definitione*, animal molestè afficiens. *Quæ molesta affectio* ex. th. 6. 7. *explicatis patebit. Cum molestè afficere dicitur, quæritur*, an bonus dici mereatur? *Est bonus dolor* Metaphysicè *& transcendentaliter, nam & essentiam suam, & convenientiam sibi debitam habet. At quantum quid habet essentiæ, tantùm habet bonitatis transcendentalis: Non est* bonus Physicè vel Ethicè, *quia disconveniens animali, & carentiam perfectionis convenientis & proportionatæ animali, voluptatis, infert, & tristitiam conciliat, quæ animali ingrata*. Conf. Suaretzium d. 11. meta. s. 1. n. 18.

19. *Fuit* definitio *doloris, & ex eâ causæ & subjecta ejus: sequitur* divisio. *Ea* vel *in species*, vel *modos inferendi*, vel *partes subjectivas*, vel *gradus*. Ex speciebus *dolor alius est* naturalis, *alius* moralis, *alius* supernaturalis. Naturalis, *qui à causis naturalibus originem ducit. Estq;* vel *internus*, vel *externus*. Internus, *qui ex internis corporum malè habentium affectionibus exsurgit. Estq;* vel *ex sensu, ut odontalgicus, colicus &c. qui* th. 6. *definitus*: vel *appetitu sensuum. Qui* vel *ex nutrimenti defectu oritur, ut fames & sitis, quæ dolores sunt, quia innaturales animalium affectiones, & si magis privationes, quàm positiones esse videantur*: Vel *ex nutrimenti paucitate, cum nutrimentum non sufficiens est, ut in esurie ex parte ademptâ, quæ tenuitas dicitur, Unde homines tenues, quibus curta domi supellex est*. Externus, *qui ab externè agentibus incutitur. Ut in cæsione, verberatione, sectione, contusione, &c. Sic qui vivicomburio tolluntur, rotâ*

contunduntur. Severinus *hos relollaceos vocat* c. l. *Barbaro & inepto vocabulo. Cum* æquè *definitionem participent, ac interni.* Moralis *dolor est mœror aliquis actum & statum moralem consequens. Sic homo dolet infortunio & pravè actis, gaudet felicitate & benè gestis. Huc contritio, pœnitentia & conscientiæ angor in sceleratis referenda, de quibus in Ethicis. Hic etiam spiritibus tribuitur. Sic angeli boni tristantur de vitijs, gaudent de pœnitentiâ.* Luc. 15. v. 10. *Sic animabus martyrum clamor dolentium tribuitur.* Apoc. 6. v. 10. Supernaturalis *est, cujus principium est supra naturam positum. Estq;* vel *divinus*, vel *Sathanicus.* Divinus, *qui à Deo vel immediatè vel mediatè incutitur.* Immediatè, *ut dolor Philistæorum.* 1. Sam. 5. v. 6. 12. Mediatè, *ut cum aquis divinitùs effusis infertur hominibus, ut in diluvio, & Pharaone: vel igne, ut Sodomâ, & damnatis in inferno.* Luc. 16. v. 24. *vel angelo percutiente, ut in Heliodoro.* 2. Macc. 3. v. 26. *primogenitis in Ægypto.* Exod. 12. v. 19. *peste obeuntibus.* 2. Sam. 24. v. 16. Sathanicus, *qui Sathanam authorem habet. Estq; interdum* vel *verus, ut cum incantamentis homines sævissimè cruciantur:* vel *fictus, ut cum Sathanas suis persuadet, alios cruciari, cum fictas apparentias & phantasmata illis objiciat.*

20. Ex modis inferendi *dolor est* vel *pungens, ut in pleuritide:* vel *pulsans, ut in arterijs & musculosis partibus:* vel *gravans, ut in parenchymate & substantiâ viscerum:* vel *profundus & frangens, ut in membranis ossium:* vel *latus & diffusivus, ut in nervis, membranis, &c. De his Medici videantur.* D. Sennert. l. 3. p. 2. c. 4. inst. Peucerus d. div. p. 486. 487. *Ex antiquis* Archigenes, *ex recentioribus* Chymici *dolorum differentias nominibus saporum exprimunt, & austeros, mordaces, salsos, amaros, acres, vocant.* Severin. c. l. Alij *& ex Planetis denominant, & Saturninos, Martiales,*

Lunaticos, vocant. Eltzerus Isag. medic. c. 7. p. 156. Galenici *negant ita dicendos esse.* Galen. l. 2. d. loc. affect. c. 9. Sennert. d. Chym. consf. c. 16. *Dicendum hic :* 1. Rigidè *voces usurpando non sunt dolores nominibus saporum sed tangorum appellandi, sunt enim maximè tactus symptomata, non gustus: & cæterorum sensuum propter tactum, quem junctū habent. Et ut cujusvis sensus objecta suis vocibus efferuntur, ita & objecta tactus, & quæ illa consequuntur, qualia dolor & voluptas. Secus enim si promiscuè voces usurpentur, confusio omnium objectorum sensibilium orietur. Et licebit visus objectum vocare amarum, dulce, calidum, frigidum : & auditus, lucidum, tenebrosum, coloratum, quæ sunt inconsistentia.* 2. Analogicè *possunt tales appellationes utcunq; ferri, quà ab amaro, salso, acri, acido, alius & alius dolendi modus infertur. Ita odorum differentias saporum nominibus appellamus, ut gravem, amarum, stypticum, acerbum.* Aristot. 2. d. an. c. 9. t. 95. *Et* Hippocrates *febrium differentias, quæ ex tactu noscuntur, mordaces, acutas, salsuginosas nominavit. Ita Saturninos, Martiales dicemus, quà dominium influentis Planetæ in uno doloris genere magis quàm in altero observamus.*

21. *Ex* partibus subjectivis *dolor est* vel *colicus, in intestinis,* vel *ophtalmicus, in oculis,* vel *othalgicus in auribus,* vel *cardiacus, ut in ore ventriculi, quod veteribus καρδία dicebatur,* vel *membranarum, arteriarum, parenchymatis, &c. De quorum rationibus & curâ disquirunt Medici.* V. D. Senn. c. l. & l. 5. p. 1. s. 1. c. 7. p. 2. s. 1. c. 8. Severin. c. l. Mercatum To. 3. op. l. 1. 2. 3. seq. Ex gradibus *dolor est* vel intensus, vel remissus. Intensus, *qui validè molestat. Ut in odontalgiâ, calculo, colicâ, &c.* Rabini *non in judicium venturos dicunt ære alieno pressos, & colicos dolores passos in hac vitâ, referente* Gerhard. d. ext. jud. §. 49. *Dolores partus intensi, unde scriptura summos cruciatus doloribus partu-*

rienti-

rientium comparat. Psal. 48. v. 7. Esa. 13. v. 8. c. 26. v. 17. *& alibi. De illis* Aristot. 7. hist. an. c. 7. 9. Plinius l. 7. c. 6. 7. *videantur. Cruciatus infernales intensissimi, unde infernus locus tormentorum.* Luc. 16. v. 28. *De illis vid.* Cæl. Rhodigin. l 6. ant. lec. c. 9. 10. 11. *Alexander Herculis scypho epoto tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret.* Curt. l. 10. c. 4. *Iobi dolores intensi.* Job. 1. v. 7. 13. *Dracula Transsylvaniæ Tyrannus soleis abscisis insperso sale capras damasq; lingere eas hominibus fecit, & ingenti cruciatu homines torsit.* Apolepht. p. 1. erquick: p. 167. *Scaphismus diri doloris apud Persas fuit supplicium, quo Artaxerxes Mithridatem 17. dies cruciavit.* Plutarch. in Artax. Camer. C. 1. c. 87. Cares *ab Parysatide matre Artaxerxis per 10. dies cruciatus est, & effossis oculis fervens æs in aures ejus est instillatum, donec expiraret.* Plutarch. c. l. *Tiberius cruciatus occidendis intendi & prolongari jussit.* Sueton. in Tib. c. 61. *Caligula ita feriendos edixit, ut mori se sentirent.* Id: in Cal. c. 30. *Acciolinus quidam Romanus supplicia sontium maturari vetuit, ut vita per temporis momenta ad longos cruciatus extenderetur. Idem immanissimis doloribus cruciatos captivos interemit.* Jovius in elog. vir. mil. l. 1. p. 72. 73. *Rusticorum seditiosorum aliquis catenâ laxè religatus ad palum, ut discurreret, circumposito igni lentè tostus est.* Sleidan. l. 4. p. 114. *Biliosus humor extremos cruciatus ciet inflammatione.* Scalig: ex: 132. *Antiochus Epiphanes immaniter homines cruciavit.* 2. Mac: 7. v: 4. 5. *Ipse non minore cruciatu obijt.* c: 9. v: 5. *Marcus Arethusiorum Episcopus aciculis compunctus, melle illitus muscis ad cruciandum in sole expositus est. Simili modo Comes Hannoniæ ab Episcopo Coloniensi necatus est, & Turcis non dispar supplicium hodieq; servatur,* Camerar: c. l. *Regulus exquisitis doloribus à Carthaginensibus tortus interemptus est. Et similibus Pœnorum ca-*

ptivi ab Reguli filijs Romæ necati. Id:C:1. c: 33. C: 2. c: 58. *Bessus Parricida doloribus excruciatus interfectus.* Curt: l: 7. c: 5. *Anno 1534. in Galliâ in Evangelicos horribilibus supplicijs sævitum. Vivi cremati, ad machinam alligati, & in altum sublati: deinde in ignem demissi, & rursus adducti, donec carnifice funem abscindente in flammas corruerent. Eruditioribus etiam lingua resecta, ne quid loquerentur.* Sleidan: l. 9. p. 246. *Basilides Moschus immane monstrum varijs gravibusq; cruciatibus omnis ordinis homines è medio sustulit.* V. Guagnin. in descr. Moscov. c. 5. Tertio die dolores vulnerum intendi solent, *ut exemplum Sichemitarum circumcisorum ostendit.* Gen. 34. v. 5. *& docet* Hippocrates l. d. fract. com. 3. *Ratio ab eodem redditur, quia 3. & 4. die ad partes dolentes fluxiones & sordes affluunt, unde inflammationes & interdum febres oriuntur: & 3. die bilis flava, succus acer, mordax, & calidus movetur & affluit, unde dolores gravescere necessum est, nisi corpus purissimum & vacuatissimum fuerit.* Conf. Valles. d. sac. Ph. c. 12. Remissus dolor *est, qui modicè infestat. Ejus exemplum in* pruritu *est, quem ad dolorem refert Galenus, qui est molestatio quædam sensionis, sed exigua: quæ excutitur, ubi pars pruriens scalpitur, & scalpendo ad naturalem statum deducitur.*

22. *Fuit* divisio *doloris: Sequuntur* affectiones, *quæ illi competunt. Hæ* vel *absolutæ sunt, quæ dolori in se spectato conveniunt:* vel *respectivæ, quæ cum alijs collato. Inter* absolutas *sunt lacrymæ, quæ dolentibus interdum excidunt, ubi in mœrore lacrymas calidas, in ophtalmiâ frigidas emitti docet Aristoteles* s: 31. probl: q: 24. *Clamor, quo dolentes ejulatus emittunt, de quo Idem* s: 27. q: 9. *Ita Christus in cruce clamavit voce magnâ.* Marc: 15. v. 37. *Sitis, qui & metuentes & dolentes interdum infestat, de quo* c. l. q: 2. 8. *In quæ loca doctissimum Lud:* Septalij *commentarium confer.* Tempus

quo

quo dolor molestat partem affectam, quod vel *inceptionis*, vel *accretionis*, vel *declinationis*, vel *desitionis, de quo Medici in doctrinâ crisiū. Quæri hic circa affectiones doloris non injucundè possit:* Cur *frigefacti, si copiosè calefiant, dolorem sentiant?* V. Arist. s. 8. q. 18. *Cur violenta & subita mutatio dolorem inferat, etiamsi ad statum naturalem tendat?* V. Septal. in illum Arist. locum. Cur *partes dolentes humores attrahere videantur? Idem in* s. 9. q. 1. & Scholtzius s. 7. aphor. Med. §. 721. 729. Cur *noctu augeri videantur dolores, & exactiùs sentiantur, quàm diu?* Id. in s. 11. q. 33. Cur *ossa dolores non sentiant?* V. Magirum. l. 5. Phys. c. 9. §. 8. c. 10. com. ad lit. A. Laurent. l. 5. Anat. q. 3. d. ossib. Scalig. ex. 297. s. 1. *Ratio horum in* discursu *expediri, occasione datâ, queat.*

23. *Inter* respectivas *doloris affectiones* cognatio & oppositio *spectandæ erunt.* Cognata *doloris sunt omnes res ingratæ & odiosæ, tristitiæ, melancholiæ, morbi, affectus ingrati, ut metus, odium, ira, &c.* Opposita *ejus sunt* vel *privativa* vel *contraria.* Privativa *ejus sunt stupor, insensatio membri ab spirituum repulsione orta, judice* Scaligero ex. 132. & 348. *indolentia, dedolentia,* ἀναισθησία, *& doloris carentia, cum quis nullum aut exiguum sentit dolorem.* Contraria *ejus sunt* vel *vera* vel *putatitia.* *Vera* vel *naturalia,* vel *moralia.* Naturalia, *quæ è naturâ fundamentum habent. Vt voluptas, affectio sensuum contraria dolori, jucunditas & gratia quædam sensionis ex objecto proportionatè sensorium afficiente illata, de quâ* dis. 6. t. 4. 5. *dicetur: Medicamenta dolorem sistentia, lenientia, avertentia, discutientia, expellentia, evacuantia, & similia, prout causa doloris se habuerit. Vt olea, balnea aquæ dulcis & tepidæ, purgationes, phlebotomiæ, clysteres, vitelli ovorum, anodyna & narcotica medicamenta, ut hyoscyamus, cicuta, mandragora, opium, & similia, quæ frigoris excessu spiritui animali ad par-*

tem affectam aditum præcludunt, sicq́ doloris sensum amovent, *de quibus videantur* Pareus l. 25. Chir. c. 19. Libavius l. 8 synt. Chym. c. 44. l. 1. c. 6. Bartholin. ex. 8. prob. Medic. q 4. Horstius dec. 3. qu. ther. q. 9. *Quædam anodyna specificâ proprietate ratione sulphuris anodyni dolores vehementes leniunt, eorumq́ causas resolvunt & corrigunt.* V. Horst. c. l Cardanus *inter dolorem sistentia &* Musicam *recenset, unde Ischiadis dolores Musicâ sæpè curari scribit* l. 18. d. subt. p. 941 *quòd spiritus aliò transferantur ob delectationem. Ei adversatur* Scaliger ex. 348. *Quòd nec auferat dolorem, nec causam subtrahat, nec membrum stupefaciat, quibus modis dolores tollantur.* Idem *dolores podagricorum sarcophago levari, & acetum acre & dolore & sensu privare scribit, quod evocet intraneum attenuet, dissolvat, strenuè siccet,* l. 7. p. 389. *Iterum dissentiente* Scaligero ex. 132. *Acetum non evocat, sed repercutit & spiritus introrsus aspellit à membris.* Moralia, *quæ moraliter dolorem leniunt. Vt solatia, quibus minuitur interdum dolor, derivant enim consolantes velut partem doloris in se, unde animo ægroto medicum orationem esse ait* Menander in senarij & Siracides *lugentes solari jubet.* c. 7. v. 38. *Mora temporis unde dolorem longa dies consumere dicitur.* V. Erasm. adag:] 483. *Putatitium* doloris contrarium *est Dea* Angeronia *Romanis culta, quòd angores & sollicitudines propitiata depelleret. Ejus simulacrum ore obligato in arâ Volupiæ locatum erat, quòd, qui dolores dissimulant, patientiæ beneficio ad maximam voluptatem perveniant.* Macrobius l. 1. Saturn. c. 10. *Atq́ hæc de dolore absolutè & respectivè dixisse sufficiat.*

(o.)

